





M. 1912.

L. M. 1820

AUGUST

I

1771

AN ALBRECHT VON HORN

1771


1771

August

AN ALBRECHT VON HORN

1771

NOVA
N V M M I
IN COLONIA
KARTHAGINE AFRICANA
PERCVSSI,
QVEM NVPER ILLVSTRARE
CONATVS EST
C L. MAH V D E L,
EXPLICATIO.



LIPSIAE
LITTERIS BREITKOPFIANIS.
MDCCXXXII.





ILLVSTRISSIMO
ATQVE
ORNATISSIMO
I O S E P H O
GABALEONI,
COMITI SARMATORII.



*igna tot heroas promente propagine proles,
Deliciae generis, spesque decusque Tui.
Artibus imbutum cui pulcris pectus,
honoris*

Et multo verae laudis amore calet.

*Cui PATRIS exemplum et PATRVI indulgentiasummi
Ostendunt amplas spes, praeeruntque viam.
Ne TIBI dispiceat, IUVENVM CLARISSIME, scripti
In fronte exigui nomen adesse Tuum.*

a 2

Atque

Atque operi, peregre quod natum est, ipse polui,
Ex te fas, oro, quaerere sit pretium.
Nec mea vota fauor, quo me complectaris, ingens
Quin sint grata tibi, me dubitare finit.
Multum et maiestas priisci veneranda mouebit,
Clausus et angustis finibus aeris honor.
Forstis et sculpis facies, Poenoque iuuabit
Noscere de populo nomina vera virum.
Quippe tibi veterum, qui linguas, iuraque tractas,
Praeteritique studes temporis historiae,
Est merito antiquos numinos tractare voluptas,
Et varia innumeris viua metalla modis.
Fallor, an afficeris casu Karthaginis, umbra
Quae nunc et nomen nil nisi triste manet?
Ipsa grauis fati Roma est oblitera suorum,
Leto quos bellum, Punica frausque dedit.
Atque odium ponens urbis mala multa minantis
Hesperiae terrae, Romulidisque iugum,
In cinerum (iustae furor in quos verterat irae,) Puluere non mersam passa iacere diu est.
Sed miserata vicem, rursum circumdare muris
Ciubus et cultam gestit esse nouis.
Nobile testem huius pietatis cerne nomisma,
Auctorum vultus Caesareosque libens.
Ac patere ut nostra studiis communibus ortae
Hoc a te stipuler pignus amicitiae:
Vlo ne merito magis haec tibi charta probetur,
A nostra quam quod mittitur illa manu.

IO. GOTTH. RICHTER.

NOVA



NOVA NVMMI IN COLONIA
KARTHAGINE AFRICANA PER-
CVSSI EXPLICATIO.

n coetibus litterariis, quos in museo
huius ciuitatis publico identidem ha-
bere solemus, praeterquam quod de
rebus ad politiora studia pertinentibus
familiariter differitur, tum frequenter
ingenium, oculosque pascimus antiquorum num-
morum contemplatione, miramurque vetus au-
rum, aes, et

*Argentum concisum in titulos faciesque
minutas,*

quo

Secula teste

Cuncta reueluntur,

et quod ad aeternitatis destinationem, vt alicubi
PLINIVS ait, videtur vnice fuisse comparatum.
Accidit vero, dum aliquando vna essemus, vt inter
varios sermones mentio iniiceretur nummi insignis
Karthagine signati, quem illuſtrissimus SCHMET-
TAVIVS Comes Parisiis emitum indeque auctum
apud me cum aliis quam plurimis ingentis pretii et

praestantiae nummis depositus. Recitari tum quoque, quod ad manum erat, placuit epistolam doctissimi MAH V D E L I I medici Parisiensis de eodem nummo ad paeclarissimum SCHMETTA VIVM ante hos septem et decem menses exaratam. De qua cum ego, ordine loquendi custodito, quid iudicarem, ingenue exposuissem, simulque enarrassem, quorum nam mihi imagines Principum in nummo expressae viderentur; quo modo ignorabilia obscuraque nomina distingui ac legi deberent; quorundam nummi argumentum spectare arbitrarer; digna existimata sunt illa, quae litteris mandata in publicam emitterentur lucem. Ac quanquam non ita de me meisque studiis sentio magnifice, ut paginam foras datam aequo benigne exceptum iri confidam, atque dicta mea paucis se amicis probasse intellexeram; tamen flagrans de prisca re nummaria bene merendi cupiditate, et sperans fore, ut alii meo exemplo ad suas de nummo opiniones communicandas excitarerent, adduci me siui, ut meam sententiam singulari scripto complecti constituerem. Cui ego labori adiiciens animum, extituros praeuideo haut paucos, qui libelli Mahudeliani de illo ipso nummo vulgati notitiam desiderabunt paulo pleniorum. Prodiit ille superioris anni mense Aprili Parisiis gallice epistolae SCHMETTA VIO Comiti inscriptae habitu. Pro ea quippe, quam cum Cl. MAH V D E L I O Parisiis contraxerat, necessitudine splendidissimus SCHMETTA VIVS cum ipso egerat, ut nummi iconem in aere effungi curaret, operamque


que salutarem ipsi explicando impenderet. Cui negotio dato satisfactum est memorata epistola, quae de auctoris in nummis interpretandis dexteritate abunde testatur. Super sedere mihi licebit opinor longiori cum laudum dignissimi tantorum cimeliorum possessoris, tum meritorum, quibus litterarum orbem sibi deuinxit Cl. MAHVDEL, enumeratione. Dudum enim eruditorum manus occupant, partim alia MAHVDELII opera, partim elegans de nummis Hispanicis liber, qui profecto praestabat, quoad litteris pretium et honos stabit, ut nomen eiusdem et fama celebretur, voliteturque per hominum ora. Quo minus autem iusta egregiarum animi dotium, et impensisissimi, ut erga omnis generis antiqua monumenta, sic maxime erga nummos antiquos studii, quo neminem non in sui admirationem rapit ornatissimus S C H M E T - T A V I V S, praedicatione perfungerer, angusti suscepit operis limites, institutique ratio impediunt.

V E R S A B I T V R igitur, vt ad propositum veniamus, cura nostra in eo, vt potiora schediasmatis MAHVDELIANI capita, coniecturaeque de nummi argumento commemorentur; sumta, quam ab ingenuis verique amantibus litterarum cultoribus concedi aequum est, licentia, vt quid ea de re nobis videatur, candide indicemus, deinceps exponamus, quomodo ipsi numimum illustrare co-
nati fuerimus.

P I C T V R A M nummi e tabula aerea, in qua nummi effigiem repraesentari curauerat Cl. MA-

H V D E L , quamque pro sua humanitate singulari,
vtendam nobis permisit nummi dominus , repe-
titam hic oculis lectoris subiicimus.

p. 8.



Numimus ex aere flauescenti cufus nummos aereos
primi moduli aequat, pondere ac crassitie superat.
In antica parte expressa sunt duo capita iuncta
cum inscriptione ARISIO MVTVM BAL RIC
COCE SVF . In postica templum sex colum-
nis fultum depictum est, cuius in medio deae
signum : circum legitur V E - N E - R I S et subter
K A R . In fronte pinnis ornata pariter nescio
quod simulacrum comparet. Forma litterarum
satis nitida est. Magnitudine vero in tantum in-
ter se differunt litterae, vt in posteriori parte du-
plo grandiores ac crassiores exsistant ac in anteriori
parte, cuiusmodi dissimilitudinem in multis num-
mis probis reprehendere licet ; quin illud haut
raro necessitate praecipitur, quum alterutrius par-
tis inscriptio longior est ; quod nimirum areae
spatium haut capax eiusdem foret, si litterae pari
magnitudine cum sculptis in altera nummi parte
effingerentur. De figura litterae M, quae cruri-
bus

bus exterioribus in latus diductis in nummo forma-
ta, a vulgari et quadrata forma recedit, obiter
obseruo, antiquiorem esse illam formam quadrata
et elegantiori.

P R A E T E R singularem typi formam, mirabi-
lemque integritatem, qua conspicuus est nummus,
eō sane haut mediocre illi conciliatur decus, quod
versatissimis in exploranda nummorum priscorum
αὐθεντέια viris omni fraudis dolosaeque manus
suspicione carere visus est: meretur is praeterea
rarissimis atque vnicis adnumerari: id quod vni-
cuique patebit, qui ipsum cum altero contulerit,
quem olim possedit, inque *nummis pop. et vrb. illu-*
strat. p. 116. publicauit H A R D V I N V S . In illo enim
temporis iniuria pessime habito plurima exoleue-
rant, quae noster clarissime exhibit. Sic in ad-
uersa parte non modo nullae capitum effigies di-
gnosci poterant, sed etiam ex inscriptione haec
pauca aegre legebantur S V F A R I S T O - - - - .
Auerfa paulo minus corruptionis passa templum et
ambientem illud scripturam V E N E R I S K A R T
plene repraesentabat. Etiamfi igitur dudum num-
mi notitia extiterit, secus ac existimauit recens
eius interpres, qui neminem antea de nummo in
suis scriptis locutum esse, aut picturam edidisse
scribit, hoc ipso tamen nihil praestantiae eiusdem
decedit, quin potius cumulatior fit laus, quod
incertitudini obscuritatique alterius egregie me-
detur.

P R O certo atque indubitato ponunt H A R D V I-
N V S ac M A H V D E L I V S nummi patriam esse K a r t h a-

ginem Africanam, idque colligunt e syllaba K A R .
 In quo me facile assentientem habent, quando-
 quidem *χάραγμα* neque Karthaginis nouae, ne-
 que Kartennae nummo conuenit. Caeterum sicut
 in aliis quam plurimis monumentis veteribus, sic
 in hoc nummo elementum K, littera initialis est
 nominis Karthaginis ; quam scribendi rationem
 probant, atque ubique retinendam praecipiunt
HEINSIVS et DRAKENBURGIVS ad *Silium Ital.*
 Quin litterae K, quam ciuitatis latinae iure spoliare
 nonnulli laborant, vindicem agit RVHE *in spec. I.*
Philologiae numismat. lat. c. 1. p. 19. Sed rectius
 per C exarari tum propter Grammaticorum placitum; tum quod in columna rostrata iam ita legatur,
 contendit **CORTIVS** Nostras ad *Sallustium Catilina c. 10.*
 Nobis prior orthographia, quam nummus seruat,
 arrisit. Nemini, ut arbitror, mirum videbitur, la-
 tinis litteris inscriptum occurrere nummum Kar-
 thaginiensem, qui pro eorum lingua, Punicis litte-
 ris atque inscriptione signari debuerit. Frequenter
 enim hoc vsu venit in nummis ciuitatum, quibus
 Romani colonias imposuerunt, ut Romanorum fer-
 mone conceptis inscriptionibus insigniti reperian-
 tur ; quod variis probat exemplis Cl. MAHVDEL ,
 atque haec ipsa nummi nostri latina inscriptio clara
 rum coloniae a Romanis Karthaginem ductae, Ro-
 manique in ista vrbe dominatus suppeditat testi-
 monium.

COLONIAE Karthaginis primus auctor et
 fundator fuit C. Gracchus, qui paucis post annis,
 quam Karthago capta dirutaque fuerat, deduxit at-

que

que Iunoniam Karthaginem appellauit. **PIGHIVS**
Annal. Rom. T. III. p. 64. ex Plutarcho. Sed cum
 illa ciuibus haut frequentaretur, desertaque diu ia-
 cuisset, iterum condita est a Iulio Caesare, prodenti-
 bus facti memoriam **PLVTARCHO, DIONE, AC STRA-**
BONE, aliisque, quorum loca citata reperiuntur apud
HARDVINVM nummis populor. et verb. illustrat. p. 116.
 et apud **EZ. SPANHEMIVM in Iuliani Imp. orat. 1.**
p. 130. Factum hoc est centesimo altero post captam
 Karthaginem anno A. V. C. 710, quo ipso Iulius
 Caesar interfectus est. **APPIANVS de Bello Punico in**
fine. Post obitum Iulii Caef. iniuriæ nonnihil passa
 colonia a Lepido, qui partem incolis priuauit, ius-
 que coloniae infregit, teste **DIONE CASSIO L. 52. in**
fine, denuo instauratur ab Octauiano Augusto A.V.C.
726. DIO CASSIVS ibidem. Confirmat hoc **APPIA-**
NVS loco paulo ante excitato, qui tria millia colo-
 norum eo missa tradit. Vnde falli **HARDVINVM**
 negantem Karthagini Africae ab Augusto coloniam
 impositam esse, luculenter appetet. Post hanc no-
 uissimam restitutionem opibus ciuibusque mirifice
 creuit, perque tria et amplius secula vna omnium
 ciuitatum Africanarum non modo, sed etiam re-
 liquarum coloniarum maxime floruit, adeo quidem,
 vt soli Romae inferior, cum Alexandria de loco se-
 cundo certaret, quod testatum reliquit **HERODIA-**
NVS L. 7. c. 13. Ab Hadriano Hadrianopolis, ab An-
 tonino Commodo autem ridicule Alexandria Com-
 moda togata vocata est, quae tamen appellations
 aetatem haut tulere. Plurimis praeterea beneficiis
 subinde cumularunt Imperatores, quorum munifi-
 cen-

centram atque indulgentiam in Karthaginem nummi hodieque superstites celebrant. Proprium inde vrbi cognomen *Felicitis* adhaesit, de quo ex instituto egit SPANHEMIVS de *vſu et praef. num. T.II.* p.443. Non abs re putauerim paucis memorasse, vero quidem haut dissimile videri, quin ex ingenti numerorum Karthagine cuforum numero multi ad nos peruenire potuerint, et reapſe peruererint; sed opinio VAILLANTII et ſectatorum eius MORELLII ac HAVERKAMPII, qui litteras singulares C. I. C. A. in quamplurimis nummis obuias *Col. Iul. Carth. Ant.* vel *Africa* interpretantur, et nummos illos omnes Karthagine percusſos statuunt, difficultatibus quibusdam premi videtur. Compertum enim habemus, litteras illas iam aliter explicatas fuiffe a SPANHEMIO et HARDVINO. Praeterea rei nummariae periti intelligunt, quam diuersimode ſuppleri poſſint iſtae litterae. Euoluatur, ſi tanti videtur, LIEBII *Gotha Nummaria* p. 406. Nolim haec ita capiantur, ac si nobilissimi Africæ emporii gloriae detracatum eam, vt pote quod multis nominibus, ac inprimis propter insignia in christianam religionem merita dignissimum eſt, cuius memoriam follers eruditorum christianaे ciuitati adſcriptorum cura, in aeuum per laboriosa ſcripta et memores tabulas aeternet. Finem coloniae interitumque attulit Genfericus Vandolorum Rex capta vrbe A. poſt C.N.439. BARONIVS et PAGIVS ad hunc annum. Ab illo tempore per annos 95 in potestate Vandolorum manſit, donec A. C. 534 a Belifatio Iuſtiniani Imp. duce bellico recipereetur. PAGIVS ad hunc annum. Ultimo loco a Saracenis vaſtata ac prorsus deleta eſt.

TAN-

T A N T V M de celsae Karthaginis, coloniae in-
 clutae fatis, quibus ut par erat, breuiter praemis-
 sis, ad eruendam nummi epocham progredimur.
 Fatendum est ingenue, tanta nummum obscuritate
 inuolui, quanta nullus alias; iustissimaeque sunt
 querelae MAH V D E L I I dolentis, nulla in hoc nummo
 indicia supereffe, e quibus de aetate eiusdem con-
 iectura duci posst. Neque enim capitum effigies
 cognitae sunt, neque inscriptiones vtriusque parti-
 dis ad formandam inde opinionem subministrant ar-
 gumentum; quandoquidem nulla nomina Impera-
 torum, aut magistratum complectuntur, nec pote-
 statis consularis tribunitiaeue vllam mentionem, aut
 aliam temporis notam afferunt. Quum tamen haut
 incommodam viam inierit Cl. MAH V D E L ad nummi
 aetatem explorandam, nec minus alia suppetat ra-
 tio, de MAH V D E L I I conatu breuem praemittemus
 mentionem, nostra cogitata subiuncturi.

C L. MAH V D E L pro fundamento argumentatio-
 nis ponit, vultus in nummo exsculptos non alios
 esse posse ac quidem Imperatorum: cuius assertio-
 nis haec firmamenta sunt: 1.) quia post imperium
 stabilitum in nummis vel Romae, vel in vrbe genti-
 togatae parente percussis, nullius nisi Imperatoris
 aut illo permittente alicuius ex familia Augusta
 imago signari consueuerit: 2.) quia non credibile
 videatur, si deductae vel amplificatae coloniae laus
 aliqua sit, vt sine dubio est, Augustos conditores
 vel amplificatores coloniarum passuros fuisse, vt in
 nummis coloniarum istarum, magistratum a se
 creatorum effigies potius, quam proprii vultus ex-
 prime-

primerentur: 3.) quia id praecipue in Karthagine, tanquam ex nobilissimis, et primis coloniis, vna haut ferendum fuisset, vt alius, praeterquam principis coloniae auctoris ac instauratoris imagine signati fabricarentur nummi. Quibus rationibus nouum robur accedere creditur, ex relatu DIONIS CASSII, narrantis, Karthaginem atque Corinthum a Iulio Caesare colonias ductas esse, item ex testimonio VAILLANTII nummum publicantis, in cuius antica caput Iulii Caesaris, in postica parte Augusti expressum sit cum epigraphe C. I. C. XXXVII, quae singulares litterae supplentur *Colonia Iulia Karth.* vnde confici posse, capita iuncta in SCHMETTAVIANO nummo eorundem Imperatorum, qui in VAILLANTII nummo cernuntur, nimirum Iulii et Augusti repraesentare vultus.

VERVM re melius pensata, Augusti quidem faciem se agnoscere prae se fert, alterum tamen caput Iulii Caesaris esse, propterea negat, quod dissimili prorsus oris, vultusque habitu in aliis nummis conspiciatur Caesar: Quum praeterea Lepidi imago, vt recte ratiocinatur, hic locum habere nequeat, quod Lepidus Karthagine incolas abducens in eorum nummis effigi ac celebrari haut meritus fuerit, et quia nummi Karthaginenses Lepidi capite signati nondum reperti sint, concludit inde MAHVDELIVS, non videri ambigendum, quin Antonii os referat caput alterum. Nouam hanc propositionem fulcire molitur, partim remouendo dubitationem, quae ex ingenti inter hoc caput, et Antonii vultum, in multis nummis conspicuum, diuer-

diuersitate oriri possit ; cuius diuersitatis culpam
in monetariorum prouincialium inscitiam deriuat :
partim varias caussas adducendo, cur Antonii et Au-
gusti capita in hoc nummo iungi necesse visum
fuerit, quod nimirum in aliquot nummis, et spe-
ciatim in nummo Karthaginis nouae, in eundem
morem copulata conspiciantur ; quibus rationibus
addit, ideo fortassis Antonium cum Augusto in suis
nummis caelari curasse Karthaginiensēs, vt Antonii
gratiam aucuparentur, qui Augusti gener et in im-
perio collega factus erat ; quum hac copulatione
honor, quo tanquam *xtisns* coloniae afficiebatur
Augustus, cum Antonio aequari videretur ; atque
ultimo loco perhibet non immerito in nummis
Karthagine percussis effingi debuisse Antonium,
cui in secunda prouinciarum diuisione inter Augu-
stum, Antonium et Lepidum facta, totius Africæ
cesserat dominatus. Quae singula atque vniuersa
perpendens Cl. MAHVDEL, statuit in illa tempora,
quae bellum Augusti cum Antonio breui praeces-
fere, adeoque in annum circiter 718. vel 719. ca-
dere nummi aetatem.

A S T spero fore, vt ignoscat elegantis erudi-
tionis vir in eius sententiam ire addubitanti. Nam
neutrum caput in nummo comparens Antonii esse,
vt vrgeam, grauissimas caussas habeo. Nimia
enim est discrepancia inter Antonii faciem, et vtrum-
que caput, quam vt alterutrum pro Antonii capi-
te haberi possit, et miror doctissimum MAHVDE-
LIVM, quum istam dissimilitudinem ipse animad-
uiceret, nihilo minus in contrariam sententiam
incli-

inclinasse: in quo memoria lapsus videtur, quia non alio argumento ad probandum, quod infitatus erat, Caesarem in nummo fisti, vtitur, quam desumto a notabili inter Caesaris formam et capitum effigies discrimine.

A D haec ipsa temporis ratio obstat, quo minus Antonius cum Augusto in argento Karthaginensi exprimi potuerit: Nam si secundum ὑπόθεσιν Augusto tanquam conditori coloniae talis honos tributus est, Antonii profecto vultum abesse oportuit, quandoquidem non nisi A. V. C. 726, adeoque tribus post proelium Actiacum annis colonia ab Augusto iam solo regnante Karthaginem deducta est: ex quo perspicuum iudico, neutiquam consistere posse confictam a Cl. Mahudelio nummi epocham.

QVAE cum ita sint, meo quidem iudicio vindentur potius capita in nummo Karthaginensi exsculpta, Iulii Caesaris et Augusti duorum coloniae Karthaginis fundatorum referre vultus. Quin caelatum in postica nummi parte Veneris templum luculento indicio esse mihi persuadeo, ad Principes e gente Iulia ortos pertinere nummum. Gens Iulia a Venere et Anchisa originem repetebat, atque ipsis auctoribus potissimum gloriabatur Iulius Caesar. Quid igitur verisimilius, quam picturam templi, quod ex addita inscriptione Veneris esse intelligimus, tanquam notam adiectam esse, vnde sciri possit, quae capita in nummo designentur, nimirum Caesaris et Augusti, amborum Iuliae propaginis principum. Quo ipso simul commemoratorum Im-

pera-

peratorum, coloniae suae conditorum honori lita-
tum iuisse Karthaginienses facile est ad existimandum.
Accedit vultus accurate intuenti videri alterum
exteriorem viri paulo ultra adolescentiae an-
nos progressi os referre, alterum interiorem ad
grandiorem aetatem prouecti hominis esse; id
quod nostrae opinioni mirifice fauet, quum Au-
gustus, cuius caput tanquam recentioris condito-
ris extrorsum spectare decuit, illo tempore, quo
Karthaginem restituit, annum circiter 36. agebat,
Iulius Caesar vero, cum interficeretur, quinquagenario
maior erat, cui aetati conuenientem oris
habitum accommodauit nummi fabricator. Nec
detrimenti quicquam capit assertionis veritas ex eo,
quod Caesaris caput corona laurea ornatum hic
minime occurrit, quantumuis isto tegmine ve-
hementer delectatus fuerit, idque gestamen in
nummis frequentissime ferat. Haut paucos enim
nummos probos maxime in coloniis cūsos exsiste-
re, in quibus Caesar absque lauru depingitur, rei
nummariae veteris peritioribus cognitum est.
Caeterum fateri haut piget, antequam istam op-
inionem adsciscerem, me dubium diu haesisse, alio-
rumne fortassis Principum Augustum affinitate
contingentium facies in nummo quaerendae sint.
Inclinabat praecipue animus, vt Lucium et Caium
Caesares depictedos putarem, quod ora eorum in
nummis iungi exploratum habeo, atque elegan-
tissimus nummus apud FROELICHIVM in IV. Ten-
tam. p. 158. sic copulata sistit. Verum vbi cura-
tius rem ponderauit, non modo nulli alii pari prin-
cipum nummum bene conuenire animaduerti,

b

sed

sed etiam cum ob allatas rationes, tum propterea; quod in plurimis nummis coloniarum ac nominatim Karthaginis capita vtrorumque signata sint, ceu vnicuique V A I L L A N T I I de nummis coloniarum opus consulenti patebit, prior coniectura se mihi tantopere probauit, vt sacras Caesaris et Augusti imagines certissime videre mihi videar, atque idem aliis persuasum iri rear. Ex quo conficitur, circiter anno V. C. 726. aut non ita multo post cufsum esse nummum.

I A M vero vbi inscriptionis capita cingentis sensum inuestigare suscipio, vtinam Sibyllae opem implorare liceat! nam diuinatione opus est. Certe neque legi facile posse, quamuis nummus probe conseruatus fit, neque inter nomina magistratum in nummo scripta, et notas familias Romanas ullam coguationem esse, iam conqueritur Cl. MAHVDEL. Si enim ita legatur, A R I S I O M V T V M B A L R I C O C F S V F positis magistratum nominibus in auferendi casu, ad exprimendum forte eorum duumuiratum: primum, A R I S I I nomen prorsus incognitum esse obseruat, cui tamen C A R I S I I substitui possit, quod ex illustri et consulari C A R I S I O R V M familia plures in comitatu Augusti in Hispania hyberna agentis fuisse ex priscis historicis liquet. Vnde coniectrae locus est, Carisium aliquem fortassis ab Augusto Karthaginem in opposito littore sitam missum ibidem duumuiratum tenuisse, nomen vero mutilatum per imprudentiam monetarii, omisso C. exaratum fuisse. Data deinceps, scripturam A R I S I O vel A R I S T O seruari posse, sequens M V T V M merum aenigma
scopus
vide-

videtur, cum vix sit, ut magistratum dignitatemue designare, aut cognomenti locum habere possit. Aequo explicatu difficile ducit vocabulum **B A L R I C O**, nuspia nifi hic obuium, quod tamen ob hanc solam rationem neutquam proscribendum iudicat, sibi persuadens, litteras singulares sequentes **C F**, quas *Caii filio* supplet, praenominis Romani notam esse. Eorum vero sententia, qui **B A L R I C O C E** legendum suspicantur, reiicitur, quum adhibita omni ingenii vi coniectandique arte idoneus sensus inde elici nequeat. Denique **S V F** haut aliam interpretationem commode admittere autumat, ac quidem *suffetō*, ut scilicet significet mortuo vel abdicanti duumuiro substitutum.

H A E C Parisiensis interpres, quae tantum abest, ut lucis aliquid affundant nummo, ut potius difficultates multiplicant, spemque recondita in illo mysteria patefaciendi praecidant. Quo lubentius veniam nobis datum iri existimamus, si ipsi punctum haut tulisse videamur.

P V T E M legendum **A R I S I O M V T V M B A L R I C O C E S V F**. quae sic interpretor: *Arisio Mutumbal et Ricoce Suffetibus*. De singulis probationes addam: Arisiorum familia, quam publicata monumenta vetera silent, nunc innotescit, nec, quin olim floruerit, idcirco ambigi debet, quia non nisi vnicum indicium supereft. Plurima subinde noua numinum, magistratum, officiorum, vrbium, ac in primis familiarum nomina e nummis et lapidibus deteguntur, quae nemo propterea falsitatis incusauerit, quod ignorata antea fuerint. Quod si tamen **A R I S T O** legere mauelit aliquis, habebit me non ma-

gnopere secum dissidentem. Potest linea transuersa,
 qua T. ab I. distinguitur, in nummo detrita ac ab-
 rasa esse. *Arisi* et *Arisii* aliquot memorantur in
*corpo*re inscript.* GRVTERIANO.* Nec *Aristonum* in-
 frequens nomen. CORTIVS ad Plin. Epist. L. 6.
 ep. 31. p. 464. In LIVIO L. 34. c. 32. 33. *Aristo-*
nus mercatoris Tyrii mentio fit, quem Annibal
 Karthaginem ad sollicitandos ciues miserat. Alter-
 rum nomen M V T V M B A L, iustum *Arisii* vel
Arisi nomen fuisse arbitror. Punicam vocis ori-
 ginem sonus et efformatio manifeste produnt.
 Immo, quod maius est, idem illud vocabulum re-
 peritur in PLAVTRI Poemulo Act. V. Sc. 2. v. 35.
 Conuenit inter eruditos Hannonem Karthaginien-
 sem ibidem a Plauto in scenam productum Mutum-
 balis filium nuncupari. Namque verba Hannonis
 Punica *Hanno Mutumballe* (ita enim legendum esse,
 non *muthumballe* nummus docet) *bechaedreanech*
 interpretaturus seruus Milphio eundem de se ipso
 locutum affirmat hunc in modum: *Hannonem se se*
ait Carthagine Carthaginem Mutumballis filium.
 Ex quo perspici potest, quantum pretii nummo sit
 statuendum. Nisi enim fallor, primum hoc mo-
 numentum vetus est, in quo vocabulum repetitur,
 quod olim in Punicis Plautinis legebatur. Confla-
 tum hoc nomen esse creditur ex *Moth* vel *Muh* et
Bal. REINESIVS de Lingua Punica c. 12. §. 15. et
 BOCHARTVS in Chanaan L. 2. c. 2. p. 789. quod lati-
 ne reddi possit *Dominus mortis* vel *Inferni*, τὸ οὐδέ-
 τος ἐξων τε θαύματε. Duxi nominem vero
 nomine *Mutumbalem* vocatum videri. Nam Poeni
 fuerunt haut dubie cum hic *Mutumbal* tum alter
 Ricox,

Ricox, quod e Punicis eorum nominibus colligitur. Nomen *Arisius* vel *Aristus*, quod aut pro gentilitio Romano capio, aut pro graeci ortus vocabulo, praenominis loco a Mutumbale assumptum fuisse suspicor. Moris enim fuit sub initia principatus Caesarum, ut prouinciales homines Romana nomina gentilitia adscita patriis nominibus praeponerent. Quo de ambitionis prouincialis genere actum a me est in *Ezeynōtei* mea *in script. August.* p. 12. De graecis Romanarum appellationum auidis attulit quaedam in medium *GALLANDIVS* in *Epist. ad Morellium* in *Electis nummariis* p. 74. Meminit *SVENTONIVS* in *Claudio* c. 25. edicti, quo peregrinae conditionis hominibus Romana nomina duntaxat gentilitia usurpare interdicebatur. Reuertor ad nomen *Mutumbal*, quod nescio an eiusdem derivationis sit cum altero *Mutinis* Praefecti Numidarum in Sicilia, quem Lybiphoenicem genere fuisse *LIVIVS* L. 25. c. 25. scribit. *MUTTOVOS* vocat *POLYBIUS* in *Excerptis Peirescianis* p. 30. Reperio etiam inter ciuitates Siculas a Phoenicibus conditas et inhabitatas urbem *Motye* dictam, de qua *CELLARIUS Geograph. Ant. T.I.* p. 796.

TERMINATIO AL et BAL in nominibus Punicis admodum frequens est, habetque hoc lingua Punica cum Hebraica matre sua commune, quin idem pariter in lingua Etrusca usu venire, quem honoris caussa nomino, obseruat *SCIPIO MAFFEIVS* in *Osservaz. Lett. T.VI.* p. 164.

DE nomine *Ricocis* fateor nihil succurrere, quod magnopere faciat ad eius explicationem. Si tricari liberet, a *Rik*, quod Arabum lingua vim,

robur denotare BOCHAR TVS ait *Chanaan L. I. c. 42.*
p. 739. etymon deducere possem, sed abhorreo ab
 istiusmodi verborum explicationibus.

S VF FETES appellatos esse Principes Senatus
 Karthaginiensis nemo est, qui ignorat. Fusē et
 docte magistratus istius historiam texuerunt SEL-
 DENVS de *Synedriis vet. Ebraeor. L. I. c. 14.* p. 323. f.
 BOCHAR TVS in *Chanaan L. I. c. 24.* p. 516. 517.
 et EZ. SPANHEMIVS in *Iuliani Orat. I. p. m. 129.* f.
 Nec sola Karthago Suffetibus gubernata est, sed
 praeter illam pleraque ciuitates Africanae et im-
 perio Punico subiectae. Cur ergo dubitemus in
 hoc nummo Suffetes Karthaginienses celebrari,
 quos nomina Punica et syllaba s v f satis clare lo-
 qui videntur, quosque pro talibus iam agnouit
 HARDVINVS.

INTERIM diffimulandum non est, huic ipsi
 explicationi grauissima dubia obstare. Nam non
 modo cum verisimilitudine pugnat, in Romana
 colonia magistratus e ciuibus Romanis lectos appelle-
 lationes dudum extincti magistratus Punici assu-
 misse: sed suppetunt etiam auctorū et Legum ve-
 terum loca, in quibus *decuriones* et *duumiri* Kar-
 thaginienses proprio senatoribus et Consulibus co-
 lonicis titulo memorantur. Ad haec PERIZO-
 NIVS in *epistola ad Morellium* negat coloniam Kar-
 thaginem Suffetes habuisse.


CONTRA ea monere tamen liceat, nuspian
 disertum interdictum reperiri, ne alio praeterquam
 duuumirorum nomine vtantur Senatus coloniarum
 principes. Quin potius permisum fuisse videtur,
 vt manente in coloniis linguae prouincialis vsu,
 noui

noui magistratus ciuum Romanorum nomen, quod in lingua regionis potestatem Consulū vel duumuirorum exprimit, adsciscerent, atque si liberet, pristinas appellations retinerent. Coloniae graece loquentes duumuiros suos *δέχοντας* vel *σφανγες* nuncupabant, qui tituli ab indigenis antea magistratibus gesti fuerant. Ipsū Suffetis nomen adhuc Tiberii Imperatoris tempore a magistratibus vrbium Africanarum usurpari consueuit, vt patet ex inscriptionibus in GRVTERO p. 470. l. 2. et in REINESIO p. 487. 488. item in MAFFEO in hist. Diplomat. p. 38. s. qui ipsa monumenta e museo Com. Moscardi Veron. aeri rursus incidi curauit. Copularem cum inscriptiōnibus libenter nummorum auctoritatem atque tuerer sententiam clarissimorum virorum VAILLANTII, MORELLII et HAVERKAMPII, qui in gentium Corneliae et Lolliae denariis Suffetum Karthaginis memoriam existere arbitrati sunt. Sed error est manifestus, quandoquidem siglae P.S.S.C. non Posuere Suffetes Karthaginenses, vel Posuere Signum Suffetes Karthaginenses, sed Pecunia Signata Senatus Consulto explicandae sunt. Quod cum ipse HAVERKAMPIVS ad Lolliae familiae nummum in Thes. Morelliano p. 249. calculo suo firmet, miramur, omnium eorum, quae pro commendanda altera interpretatione paulo ante p. 142. fuse disputauerat, tam facile ipsum capere potuisse obliuionem, vt ne verbo quidem, cur sententiam mutauerit, exponat. Suffetes igitur, vt ad eos nunc redeam, si duumuiros Karthaginenses vocatos esse ex allatis argumentis credibile videatur, quod hoc quidem certo sciamus, id nummo nostro acceptum referimus.

POSTI-

POSTICA nummi pars plana, explicatique perquam facilis est. Ex inscriptione templum ambiente coniicit MAHVDELIVS Veneri consecratum esse. Nec dubitat, quin templum Veneris pro signo seu symbolo Karthaginis haberi possit, cuiusmodi symbola in nummis ciuitatum Asiaticarum, Africnarum ac Europaearum haut raro obvia, memoriam earundem continuo refricant, et cum historiae urbium illustrandae tum auctoribus veteribus explinandis mirifice inseruiunt.

CONSIMILA signa offendisse idem sibi visus est in alio nummo Karthaginiensi nummophylacii SCHMETTAVIANI, cuius picturam in eadem aereatabula, qua alter nummus caelatus erat, incisam publicauit, vnde hic conspiciendam denuo damus.



REPRÆSENTAT is in anteriori parte militem armatum cum inscriptione KARTHAGO, et in posteriori caput equinum loro frenatum cum notis numeralibus XXI. Hae figuræ, si MAHVDELIO credere fas est, ad formas nummorum antiquæ Karthaginis expressæ sunt, omissa saltim Punica inscriptione, pro qua recentiores incolæ latinam substituere. Atque istius asserti hanc subdit rationem, quod

quod signa optime congruant cum historia Karthaginis AVIRGILIO in sequentibus versibus comprehensa:

*Lucus in urbe fuit, media tutissimus umbra.
Quo primum iactati vndis et turbine Poeni
Effodere loco signum, quod Regia Iuno
Monstrarat, caput aeris equi, sic nam fore bello
Egregiam et facilem victu per saccula gentem.*

AD cuius nummi explicationem collaturi etiam nostram symbolam, id quidem largimur medico Parisiensi, caput equi insigne Karthaginis fuisse. Nam alterum Karthaginis nomen *Caccabe* caput equinum denotare STEPHANVS BYZANTI-
NVS articulo *καρχηδών* auctor est. Supersunt etiam nummi incognitis litteris, quae pro Punicis vulgo habentur, inscripti, in quorum postica parte caput equi cusum cernitur. OISELIVS *Theſ. numism.* p. 140. Sed licet caput equi antiquae Karthaginis monetam indicare videatur, quomodo quaeso viri militaris Romano more armati simulacrum in illo simul locum habere potuit? Nummi Punici ut plurimum in anteriori parte habent caput feminae, de quo incertum est, Venerisne, an Iunonis, aut Didonis vel Karthaginis, quae inter Herculis filias numeratur, vultum referat: in postica caput equi infrenatum reperitur, quod verisimiliter Africac equorum vbere prouentu foecundae symbolum est, et quo simul natura equorum Africorum, qui frenis domari haut solebant, exprimitur. Ad veteris igitur nummi Karthaginiensis formam effictum non esse nummum, vix est ut dubitari possit. Alium nummum a Panormitanis percussum inter Panormitanos primo loco euulgauit PARVTA, huic

prorsus similem, nisi quod in illo KAR PAN pro KARTHAGO, et in altera parte subter capite equino notae XII signatae sint, H A V E R K A M P I V S, qui post PARVATAM ad nummos Siculos commentatus est, in nummo illo memoriam Karthaginis, vnde colonia Panormum ducta fuerat, perpetuari scribit, sed explicationem notarum numeralium, quam ipse suggerit, vereor, ut cuiusquam se probet. Solent haut raro numeri diuersas vrbiū epochas designare. Sed cuiusmodi computatio hic instituenda sit, fateor me nescire. Nisi temerarium nimis foret, absque exemplo nouam opinionem amplecti, statuerem numeros XII. cum littera L in nummo Panormitanō significare Legionem duodecimam, et quia in aduersa nummi parte miles armatus expressus cernitur, inferrem inde, milites duodecimae legionis colonos forte Panormum ductos esse. Sed missa illa facio. Cae terum nummi militem armatum exhibentes sero adinodum ac fortassis sub Imperatore quodam secundi seculi percussi videntur. Forte ex eorum genere numis inatum sunt, quae propter Circensium aliorumque ludorum celebritatem percussa coniicit SPANHEMIUS. Conueniunt enim cum ipsis tam typo ac magnitudine, quam notis numeralibus inextricabilibus.

R E D E O ad picturam posticae partis nummi SCHMETTAVIANI, quae templum Veneris refert. Putauit Cl. MAHVDELIVS celebrari hoc typo Venerem, singulari religione apud Karthaginienses cultam, templumque eius, ideo in numero exsculpi placuisse, vt cultum numinis istius

testa-

testaretur. Quae assumta opinio ipsum inducit, ut amplius memoret, Veneris cultum ab Assyriis ad Phoenices, atque ab his ad Karthaginenses colonos eorum translatum esse: repetitu praeterea digna iudicat, quae de ritibus, qui in templo Veneris apud quasdam gentes antiquas peragi solebant, in HERODO TO leguntur, nempe puellas frequentes in templo Veneris conuenisse, atque ibi conductas certa mercede aduenis sui copiam fecisse: Quibus subiungit, non prius nubere licuisse miseris virginibus, quam eiusmodi pudicitiae prae-gustatorem reperissent, quod venustis citius, deformibus fero demum vsu venisse obseruat. Postremo meminit litis de loco, in quo puellae matrimonio initiari consueuerint, inter VOSSIVM et SELDENVM agitatae: et quaestionem testimonio VALERII MAX. solui putat, qui L. 2. c. 6. egressas e templo matronas demum prodit, ad dotes corporis iniuria contrahendas processisse: cum quibus conferri merentur, quae habet HENDREICH. *Karth. vet.* p. 212.

HAEC ille. Nos institutum secuti nostrum breuiter, quae nobis ratio delineandi in nummo templi Veneris suisse videatur, declarabimus. Vrbs Karthago tanquam colonia Phoenicum deducta a Didone Phoenissa sacra patria retinuerat, et deos, quibus Phoenices sacrificabant, colere persevererabat. Quos inter maxima veneratione prosequebantur diuinitatem quandam a Syris, ut fertur, Astarten, a Poenis Vraniam appellatam. Latinis *Caelestis*, *Dea caelestis*, *Virgo caelestis* dicebatur. Quae appellatio *Caelestis* propria Deae Kartha-

Karthaginensi esse videtur. Caeterum *Caelestes* cognominantur Iuno, Venus, Diana, bona Dea, vt ex inscriptionibus testatum facit SCHVLT IN-
GIVS *Iurisprud.* Anteius. p. 636. *Caelestis Augu-
sta et Genius Karthaginis coniunguntur in inscri-
ptione apud MVRATORIVM Thes. in script. T. I.
p. 17. n. 8.* Haec igitur Dea *Caelestis* Karthaginis dici non potest, quantopere ingenia exercuerit eruditorum scire auentium ac inuestigare laboran-
tium, ad quannam e deabus Graecorum et Ro-
manorum proxime accedat numen istud. Sunt inter antiquos scriptores, qui Iunonem dicunt, et
VIRGILIUS, SILIVS que perpetuo Iunonem res Poenorum moderantem carminibus suis cele-
brant. Alii contra Venerem eandem cum *Caelesti* faciunt: CICERO pluresque *Astarten* ac *Vene-
rem* pro eodem numine habent, et AVGSTINVS
aliique ecclesiae priscae patres in *Veneris*, quae
Karthagine prae reliquis numinibus dominabatur,
regnum acriter inuehuntur. Omitto illos, qui
Lunam, *Cererem*, *Isidem*, *Deam Syriam*, ac nescio
quas praeterea diuas pro numine illo Assyrio et
Africano capiunt. Quorumnam igitur in tam no-
tabili diuortio, sententiae subscriendum? LIPSIVS
in *Quaest. Epist. L. V.* ep. 22. sibi constare negat,
quem qui sequuntur, haut imperite, me iudice,
faciunt. Conuenit tamen inter plerosque, vtram-
que deam, Iunonem et Venerem, in eodem *Caele-
stis* numine cultam esse, quod nonnulli etiam de
reliquis deabus paulo ante memoratis affirmant.
Plura qui de *Caelesti* cupit legere, caussasque cognoscere, cur in vna dea tam diuersarum vi ac poter-
state

state dearum numina venerati sint Poeni, adeat
 P E T R . F A B R V M *Semeſt. L. 3. c. 1. 2. FORTVN.*
LICETVM Resp. de quaef. per epift. in ROB. GAVDEN-
TII MisCELL. Ital. T. II. p. 206. STANLEY hift. Phil.
P. XIII. ſeſt. 2. c. 37. in fine, et illos, quos magno
 agmine cogit SCHVLTINGIVS *Iurisprud. Anteiuſt.*
p. 637.

NVNC age, quae haſtenus diſputata ſunt, in
 rem noſtram conuertamus. E quibus confidere mi-
 hi videor, non ſpectare templum et iſcriptionem
 nummi ad priſcam numiniſis illius, quod pro Venere
 veſerabantur Karthaginienſes, religionem celebra-
 dam. Nam dea illa, licet iisdem ferē ac Venus mori-
 bus coleretur, prorsus diuerſum a Venere numen
 erat, et cum nomine tum potestate ab illa diſting-
 uebatur. Quare ſi veterem Vraniae cultum deſig-
 nare in nummis voluiſſent Karthaginienſes, haut
 dubie iustum eius nomen, non Veneris exprimi cu-
 raffent. Veterem enim illam deam, quae ab Affyriis
 ſub Astartes nomine culta eſt, cuiusque veſeratio-
 nem Phoenices ad Karthaginienſes propagarunt,
 non Venerem, ſed Vraniam vel Caeleſtem vocari con-
 ſueiſſe demonſtratum dedi. Ex quo confequitur,
 vt ſi, de quo vix dubito, templum cum iſcriptio-
 ne cultus Veneri inter Karthaginienſes habitu indi-
 cia praebet, putandum ſit, peregrinam et a Roma-
 niis coloniſ aduectam Religionem fuifſe.

Q u o dato non improbabiliſ fortaffe videbitur
 coniectura noſtra, qua figuræ in poſteriori nummi
 parte expreſſas ad capita in nummo exſculpta reuoca-
 mus, atque contendimus, rationem effici in nummo
 templi e notitia capitum pateſieri, quemadmodum
 viciſ-

vicissim templum Veneris et Inscriptio ad dignoscenda
 capita haut parum faciunt. Superius quippe opinionem
 proposui Iulii et Augusti effigies in nummo videri depi-
 ctas, ibidemque subieci, rem eo verisimilem reddi, quod
 alteri parti impressum sit templi Veneris simulacrum.
 Quid enim credibilius, quam a colonis Romanis Ve-
 neris, cuius numinis magna inter Romanos veneratio
 erat, sacra Karthagine quoque introducta fuisse: quid-
 ue conuenientius coloniae a Iulio et Augusto conditae,
 quam cultum numinis familiae eorum tutelaris, et a
 quo principia ducebat gens Julia, apud se instaurare
 et in publicis monumentis profiteri. At succurrit aliud
 argumentum non minus speciosum. Post expugna-
 tionem Karthaginis decem legati ex Senatus Romani
 sententia ad Scipionem missi sunt, ad ordinandam pro-
 uinciae reliquiarumque Karthaginis conditionem.
 Hi igitur, quicquid supererat vrbis, dirui curantes, se-
 uere edixerunt, ne quis in isto agro locoque posthac
 habitaret, pronuntiatis dirissimis detestationibus in eum,
 qui contra istud decretum molitus quicquam fuerit.
A P P I A N V S de bello Pun. in fine, et M A C R O B I V S
Saturnal. L. 3. c. 9. Praecessit ipsam dirarum im-
 precationem deorum dearumque Karthaginis tutela-
 rium euocatio, teste **M A C R O B I O**, qui eandem in
 omnibus vrbiuum deuotionibus more Romano inter-
 uenisse scribit, subiuncta ipsius carminis formula.
 Euocata igitur Dea caelesti, ut eiusdem quoque in
 vrbe praesidium ac tutela cessauerit, necesse est.
Ac quanquam postea **C. Gracchus** spretis religionibus
 in ipso agro vrbis deletae inaedificare coloniamque
 condere instituebat, nouae quoque coloniae cognomo-
 mento Iunoniae imposito, vnde Iunonem vrbis tu-
 tricem ab eo delectam fuisse appetet; deficientibus
 tamen in recens fundata vrbe colonis, prodigiisque
 multis iram deorum palam ostendentibus, colonia
 breui post plane interiit. Quam deinceps secundiori
 fortuna denuo deducens Augustus, eandem in agro
 vete-

veteris Karthaginis proximo condidit, cauens, ut APPIANVS narrat, religiosissime priscas deuotiones. Ex quo colligere licet, Augustum euocationis olim factae memorem, vrbis a se conditae tutelam praeterito priori numine tutelari, alii diuinitati Romanis suoque generi magis propitiae commendasse. Quod si ita argumentando recte coniecisse videamur, confido pariter probatum iri suspicionem nostram, ab illo inde tempore Augusti instituto pro Iunone et Caelesti, in noua colonia Venerem tanquam Deam praefidem et Tetricem coli coepisse: vel certe, si id minus placet, ciues Karthaginenses in Augusti honorem, in nummis suis templum Veneris signari curasse. Quod etiam Corinthiis, cur templum Veneris in argento publico effingerent, in causa fuisse, censet VAILLANTIVS in nummis Colon. P. 1. p. 32.

CAYEAT tamen haec legens, ne in errorem rapiatur, falso inferendo ex iis quae disputauimus, negari a nobis, cultum Caelestis antiquae in colonia unquam viguisse. A qua sententia tantum absum, ut potius affluente in nouam coloniam magna Afrorum, Poenororumque multitudine, religionem numinis istius denuo instauratam sanctissimeque obseruatam fuisse certo sciam. Quam in rem, si opus foret, infinita auctorum veterum testimonia cumulare valerem. Sed sufficiet TERTULLIANI AVGUSTINIQUE de corrupto Karthaginis statu, Venerisque infami cultu querelarum meminisse. Quem praeterea fugit factum Heliogabali, qui vesano et ridiculo consilio simulacrum Vraniae Karthagine adferri iussit, Vraniam Deam Soli Deo in matrimonium collocaturus? Quin ipsi Caelesti Karthaginis tributum id iuris est Principum Rom. Constitutionibus, ut heres institui possit, VPIANVS Tit. XXII. §. 6. Vocatur ibi Caelestis Karthaginis Salinenfis, et cognomentum Salinenfis non aliunde commode deriuari arbitrantur SCHVLTINGIUS ad cit. loc. et CONRADI de Diis here-

heredibus ex testamento, quam a *Salinis*, non alio
 argumento, quam quia prope Karthaginem campum
 Salium πατέρων αλών fuisse PROCOPIVS in *Vandal.*
 memorat. Ego fecus statuo. Nolo equidem vrgere
 secundum Grammaticas regulas, a *Salinis* non *Salinensis*, sed *Salinaria* formari debuisse, quia saepe va-
 riare Grammaticorum praecepta compertum habeo.
 At infirma nimis mihi videtur esse ratiocinatio, a re-
 moto ab vrbe Karthagine campo Salium feraci, cognos-
 mentum Deae in vrbe coli solitae quaerere, quum nullum praeterea indicium delubri Caelestis prope
 campum Salium siti extet, atque ipse PROCOPII
 locus obscure admodum de campo illo Salinario lo-
 quatur. Opiner potius cognomen *Salinenfis* ab vrbe
 quadam, in qua Caelestis Karthaginis colebatur, re-
 liquis deae nominibus accessisse. Cui coniecturae
 praesidium inde nascitur, quia in Vlpiani *citato loco*
 inter reliquos deos simili cum Caelesti iure gaudentes
 nominatur *Dea mater Sypilensis*, quae *Smyrnae* co-
 litur. Ex quo apparet, Deam illam matrem Sypilen-
 fem, non vbique, vbi colebatur, ius ex testamentis
 capiendi habuisse, sed saltim *Smyrnae*. Similiter *Cae-
 lesti Karthaginis* non omnibus in vrbibus, vbi cultus
 eius introductus erat, sed saltim illo in oppido, quod
 cognomen *Salinenfis* indicat, ius hereditates capiendi
 competitissle persuasus sum. Si vnica littera mutata pro
Salinenfis, legeretur *Salonensis*, vel *Selinensis*, con-
 iicere liceret, *Salonis*, aut *Selinunte*, aut nescio
 qua alia in ciuitate cognatum nomen gerente Cae-
 lestem cultam atque amplissimo isto priuilegio
 a Caesaribus ornatam
 fuisse.

T A N T V M.

Tm 985'

ULB Halle
006 670 954

3





-VD18

A. A.









B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan


Blue

Centimetres
Inches

Farbkarte #13



NOVA
N V M M I
IN COLONIA
KARTHAGINE AFRICANA
PERCVSSI,
QVEM NVPER ILLVSTRARE
CONATVS EST
CL. MAHVDDEL,
EXPLICATIO.



LIPSIAE
LITTERIS BREITKOPFIANIS.

M D C C X X X X I I .